

Salve, caput cruentatum

Sal-ve, ca-put cru-en-ta - tum, To-tum spi-nis co-ro-na-tum,
Con-quas - sa-tum, vul-ne-ra - tum, A-run-di - ne ver-be-ra-tum,
Fa-ci - e spu-tis il - li - ta.

2. Salve, cuius dulcis vultus,
Immutatus et incultus,
Immutavit suum florem,
Totus versus in pallorem,
Quem coeli tremit curia.

3. Omnis vigor atque viror
Hinc recessit, non admiror,
Mors apparet in aspectu,
Totus pendens in defectu,
Attritus aegra macie.

4. Sic affectus, sie despectus,
Propter me sic interfectus,
Peccatori tam indigno
Cum amoris intersigno
Appare clara facie.

5. In hac tua passione
Me agnosce, Pastor bone,
Cuius sumpsi mel ex ore,
Haustum lactis cum dulcore,
Prae omnibus deliciis.

6. Non me reum asperneris,
Nec indignum dedigneris,
Morte tibi iam vicina,
Tuum caput hic inclina,
In meis pausa brachiis.

7. Tuae sanctae passioni
Me gauderem interponi;
In hac cruce tecum mori
Praesta crucis amatori,
Sub cruce tua moriar.

8. Morti tuae tarn amarae,
Grates ago, Iesu care,
Qui es clemens, pie Deus,
Fac quod petit tuus reus,
Ut absque te non finiar.

9. Dum me mori est necesse,
Noli mihi tunc deesse:
In tremenda mortis hora
Veni, Iesu, absque mora
Tuere me et libera

10. Cum me iubet emigrare,
Iesu care, tunc appare:
O amator amplectende,
Temet ipsum tunc ostende
In cruce salutifera.